

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

III.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

110

Augustinus prolixè refutavit delirium Manicheorum, qui contendebant peccatum esse substantiam conditam à sathana, lib.2. contra Julianum.

Quod mones, ut privatim moneam Illyricum, agnosco tuam piam sollicitudinem pro Ecclesiæ tranquillitate. Ego verò tuam anteverti admonitionem. Sæpissimè eum de hoc novo dogmate admonui prolixis literis: obtestatus sum eum, ut parceret vulneratæ fatis Ecclesiæ. Monui ne suas deformaret actiones. Ne novum accenderet certamen. Prolixis scriptis ejus argumenta refutavi: & testimoniis scripturæ sanam sententiam demonstravi. Ac si nunc ad manum haberem, non gravatim tibi mitterem meas prolixas ad Illyricum literas, & te judicem constituerem.

Est & ab aliis admonitus, & rogatus, ne falsum dogma pertinaciter defenderet, & in vulgus emitteret, ut, à Domino Gallo, Wigando, D. Scharidio & Dom. Körenitzio, qui dissentiunt ab ipso. Taceo alios. At Illyricus spreto omnium fratrum admonitionibus: rejectis scripturæ testimoniis, sibi placens sua pertinaciter defendit, & falsum dogma in vulgus emisit. Non igitur ægrè ferat, si publicè testemur nos dissentire ab ipso: Nolumus nobis Manicheismi notam inuri. Reddat ipse rationem DEO dati scandali post tot fratrum admonitiones. Hæc quidem dolente animo scribo: sed dissimulare non possum, quæ conscientiam meam tangunt.

Dilexi Illyricum ob veritatem adsertam: etiamnum pro illo precor. Sed veritatem omnibus hominibus antepono. Tu mecum ora Dominum, ut sanet vulnera Ecclesiæ.

## III.

S. D. Clarissime & charissime D. David, amice optatissime & colende. Per jucundum fuit mihi officium tuum, quod Eberhardum amicum non modo tuum sed omnium eruditorum & præcipuorum virorum in Germania & Dania, ad me literis tuis misisti. Est hoc veræ amicitiae testimonium, amicum non modo literarum alloquio sed etiam amicorum charissimorum consuetudine exhilarare. Gratias igitur tibi ingentes ago. De Ecclesia nostra sæpe ante ad te perscribere decrevi, sed nescio quæ fata me impederint. Dolendum est nos, qui in vicinia sumus & tantis amicitiae vinculis copulati, adedò silere, & non sæpius per literas colloqui. Pacatam verò Ecclesiam habemus. Nisi quod Artopæus Stettini movit Osiandri dogma, sed Principes instituto Colloquio Mense Aprili rem componi & incendium illud reprimi curarunt. Hoc de D. Artopæo viro doctissimo & optimo testor, quod valde sese docilem & sanabilem nobis præbuit, quæ virtus hoc tempore in Theologis rarissima & difficillima est.

Con-

Contendit autem, unam esse oportere justitiam, quæ æterna esset. Sicut Daniel inquit. Hoc erat valde insidiosum, cum posset de justitia essentiali, aut de justitiâ originali, qualis est in Angelis & erit in beatis, aut etiam de Imputativa justitiâ intelligi. Sic etiam contendit, verbum justificari idem esse quod accipere potentiam juste agendi, quod pariter de infusa gratia, de inhabitante divina essentia, de restitutione originalis justitiæ, & de donatione Spiritus Sancti, ut nos dicimus, intelligi poterat. Acerrime disputavit, nos esse justos justitiâ originali, quæ ab Adam fuit perdita & reddita à Christo. Et interrogatus fatebatur originalem justitiâ, esse aut communicationem Spiritus sancti aut æternæ divinæ justitiæ, aut conformitatem omnium virium. intelligebat essentialiter aut de tate. Hæc tibi volui indicare, ut intelligas, qualibus præstigiis homines arguti conentur pingere & involuere Osiandri *Edi. 160.* Verum spero Atropæum servatutum fidem & abjecturum istas opiniones. Ut ab ea parte periculum nostræ Ecclesiæ non fore putem.

Alterum est, quod Frederus optimus & doctissimus vir renovat litem de impositione manuum, de qua nostri nunquam voluerunt quidquam scribere, non quod suæ causæ diffidant, sed ut consulere tranquillitati & famæ ac existimationi M. Frederi. Sæpissimè res à Principe nostro audita & transacta est. Sed Frederus semper rem retractavit. Occasio & *κρίσις* rei hoc est. Frederus non ordinatus occupavit hic Ministerium, & alios ordinavit. Et ad monitus de *ἀπέλι*, post aliquot annos perrexit. Et cœpit tutari suum factum. Quia Ordinatio est *ἀδιάφογη*. Et Impositio manuum est inanis. Huic facto *ἀπέλι* & ambiguae sententiæ contradixit privatim tamen D. Knipstronius ratione officii. Quia judicavit Ordinationem salvam retinendam esse. Nunc Frederus publice litem renovat, & vidi pagellas plurimas excusas à Typographo vestro. Miror autem ab Eberhardo non esse visas. Audio & alia ex Dania adferri. Peto igitur à te, etsi res ad me non adeo pertinet, ne patiaris quantum in te est quidquam in contumeliam harum Ecclesiarum edi, quod sit *μῆλον ἑλδθ.* Nos favemus & studemus honoribus Frederi & id pergemus facere. Ac dolemus puerili & inani disputatione inturbari tranquillitatem & deformari has innocentes Ecclesias. Si quid tibi constat, peto & liberrimè sententiam tuam & consilium mecum communices. Optime vale. Celerrimè scripsi ex Gryphiswaldia 6. Junii.

Judicium tuum de Promotione & de Creaturis &c. legere cupio.

*Inscriptio.*

Clarissimo viro eruditione & virtute antecellenti Domino  
Magistro Davidi Chytraeo, docenti doctrinam de Deo lin-  
guas, artes & Philos. veram Rosochii amico suo colendo.

Jacobus Rungius.

De